QVADRIVIVM MYSTAGOGICVM LYRICVM APOLLINEVM

VIRIDANS SAPIENTIÆ FASTIGIVM ÆNIGMATICE

ADVMBRANS, DULCISONOSQVE NVMEROS QVAQVAVERSVS RESONANS IN REGIA Minervæ, quæ Hispali colitur virtutis templum, artis miraculum, & miraculi symbolum, quatriduo discurrendum:

HVC HELICON VIRGINEVS, PVLCHERQVE LYRISTES

FLORIDIS CINCTI SERTIS PARADISIVM SPIRANTES ODOREM, MERCEDARIJ JOVIS DESCENSVM AD SVAM Vandaliæ Eparchiam, vt novum Apollinem, novumque creet in Capitulo Cœlum alacres celebraturi roseo ore inclamitant, vocant, invitant, ad tantumque diem sic plectra rumpunt, & poemata canunt.

GRATVLABVNDVS CASTALIDVM INGRESSVS BÆTICVM MERCEDENSE DECANTANS CAPITVLVM.

Candida purpureis proles signata coronis
Bœtica Mercedis, quã pangit fama per orbẽ,
Quorsum Regia tendis? Cœlum, & sydera ducens
Tecum vt fulgorem tantum miretur Olympus,
Parnassusque biceps, & Eris, & Cynthus, & Othrys,
Didimaq́, & Micale, natusque ad sacra Cytheron,
Ossaque cum Pindo stupeant, & Pontus, & Æther.
Quorsum rumpens aera clara per æthera ludis
Floribus ornata, ac rubeis circumdata gemmis,
Invitans fontes blando ebullire susurro,
Exhilarans vultu, & sylvas, & florida prata,
Pestanasque rosas, & amantes littora myrthos,
Pallentes violas, nardos, & gramina campi
Hyblæi, quem gyrat apes examine multo
Nectar, & ambrosiam thymio de cortice quærens
Ebibere, vt dulci distendat munere cellas.
Si formosa venis, quare versatilis instar
Castrorum, ad pugnam sævis, & tela ministrans
Invadis Martem clypeis, atque ære sonoro
Athletas affers ad fortem Palladis vrbem?

Quorsum lassatis? Satis est respondet Apollo,
Eia audite lyram, pangit iam, & cuncta resolvit.
Hæc, quæ purpureis depicta coloribus adstat,
Quam Libanus vestit, quam montis gloria cingit
Carmeli, atq̃ Saron, plusquãq̃ coronat, & Hermõ;
Hæc, sat nunquam totum decantata per Orbem
Mercedis Provincia, Bœtis quam irrigat almus;
Cum iam tres orbes Sol devolvisset ad axim,
Ecce venit iussu Primi, Magnique Parentis
Hispalis ad templum cupiens educere sorte
Pastorem, qui servet eam, foveatque calore,
Pascuaque ad Cœli ducat, zeletur, & ipsam,
Eligat atque alios, quorum sit cura pusillum
Cœtum custodire, simulque alimenta parare;
Dumque hæc intendit, supplex fumantibus aris
Thura vovet, libat, sacrat, Divosque precatur,
Spiritus æthera descendat Sanctus ab aula.
Posteaque vt toto rumpat sua gaudia plausu
Quadrinum auroræ vultum anxiat, eligit, optat,
Quem plectris Musæ plaudẽt, numeroque sonoro,
Sacris eloquio mentem mulcentibus, altis,
Dulcisonisque tubis, quæ Cœli Numina laudent.
Has auris parat; ast & palmas, sole cadente,
Laurosque extollens fulgentia tela ministrat
Atque viros doctos vocat ad Tritonidis arcem.

En

En quare formosa venit versatilis instar
Castrorum, nectens geminatum lucida vultum.
Iam dubia indubia extant, iam placet aera toto
Nunc resonare choro, chordisq́ impédere laudes.
Ergo perge ignitis circum amicta pyropis,
Regia pulchra nimis, Provincia maxima perge,
Perge novos flores ævi per tempora fundens;
Te semper colat ævum; & ad omnia sœcula vive.



PRÆLOCVTIO MINERVÆ AD THEOSOPHICOS SVOS ALVMNOS PRO ADAPERIENDO ÆNIGMATE.

DVLCISONIS flatibus ducti ad mea Penetralia accessistis; in hæc præpeti penna vos, impulit illa harmonica lyra, qua desistunt tremulis decurrere frondibus Euri, qua Hebri stant latices, Rhodopeia saxa incenduntur, Argo pennigera, mare obtemperante, & remigia moventur, vt cecinit Silius lib. 11.

Quin etiam Pegasæa ratis, cumcœrula nondum
Cognita terrigenis, pontoque intrare negaret,
Ad puppim sacræ cithara eliciente carinæ,
Adductum cantu venit mare.

Illa, quæ sylvas trahit.

Sidon. *digitisque canoris*
Compulit auritas ad plectrum currere sylvas.

Illa, quæ suspendit alites.

Immemor, & dulcis nidi, posituque volatu
Sil. *Non mota volucris captiva pependit in æthera,*

Illa, qua, *Phœbus, Phœbique soror, duce, & aurea Cœli*
Polyāt. *Astra suos agitant constanti fœdere motus.*

Illa denique, quæ.

Sylvas, & saxa trahens, nunc sydera ducit,
Manil. *Et rapit immensum mundi revolubilis orbem.*

VL-

VLtima verba expilo: *Sylvas, & saxa trahens, nunc sydera ducit.* Merito nunc sydera ducit, cum vos ducit, clarissisimi viri, clara Phœbi lumina, mea clara propago, merito inquam, nunc sidera ducit, cum vos ducit; ast non ad Pythagorica silentia ducit, sed vt ego vos provocem ad certamina contentiosa, vbi quo plus colligitur pulveris, eo plus meretur, & laudis. *Nemo enim nitidus*, vt bene Ambrosius, *sed pulverulentus coronatur.* Qua propter proponere vobis decrevi pulchrum periucundumque ænigma, quod quia semper mihi haud facile, oro, vt inter nos toto acumine ingenij disputetur, quadrivium, scilicet, mystagogicum lyricum Apollineum totidem dierum spatio in hoc meo Hispalensi delubro discurrendum. Queis, nisi vobis hanc abditam viam possem emoliendam afferre? Vobis quidem, qui vividi auspicamini Cœlorum pulcherrimas chartas, paginas elementorum, & volumina temporum; qui legitis viridaria naturæ, qui Cœlis transcursis, theosophico tramite inaccessibilem contemplamini lucem; vobis quidem vt in novas Sapientiæ gemmas erumpatis sunt ænigmata proponenda: *Da sapienti ocasionem, & addetur ei sapientia.* Proverb. cap. 9. hæc enim trahitur de occultis, non de rerũ cortice, qua propter Gregorius calamo aureo dixit in moralibus: *Quemadmodum scriptura simplices superficie refouet, ita sapientes mysterio exercet; habet in publico vnde parvulos nutriat, & servat in occulto vnde mentes sublimium in admirationem dulcedinis suæ suspendat, quasi fluvius quidam mirabilis planus simul, & altus, in quo agnus peditat, & Elephas natat.* Vestrũ est nosse mysteria, & abdita pandere, vnde Terentius: *O Deme! illud est sapere non quod antepedes mos est videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere.* Et Menander: *Optimum est omnia scire pulchra.* Mea que inter est plausu tanto hos celebrare dies, nam teste Syracide cap. 24. *Sapientia in Deo honorabitur, &*

in

in Ecclesijs Altissimi apperiet os suum, & in medio populi sui exultabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem. Ecce mea exaltatio in hac electorũ candida multitudine iam olim sacro calamo decantata. Mea, inquam, interest, quæ *in consilio habito, & eruditis intersum cogitationibus, ut Reges regnent, & legum conditores iusta decernant* in Mercedario Templo os aperire meum, ac pulchram cogitationem pulchro quadrivij emblemate celatam vobis adaperiendam proponere.

Ea est, intentis occulis iam iam haurite.

⁂



GRI-

GRIPHICA
THESIS.

Pro- verb. cap. 30. vers. 18

Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro.

Viam Aquilæ in Cœlo.
Viam Colubri super terram.
Viam Navis in medio mari.
Viam viri in adolescentia.

PErlustrat ænigma pulcherrima lyra Appollinea, nobile sapientiæ emblema, & quadrivij nostri figura. Hæc (sit ab Apolline inventa, vel illi à Mercurio tradita) tantummodò quatuor constabat chordis, vt in Polyanth. dicitur: *Tradiderunt veteres, Mercurium construxisse instrumentum primò quidem quatuor nervis intentum.* Quod elucidavit Riciardus ex Nichomaco asserens, quod in illis quatuor chordis quatuor elementa harmonice resonabant. *Lyra à Mercurio inventa secundum Nichomacum* (ait Riciard. comm. symb. verb. Lyra num. 16.) *habuit quatuor chordas, quarum quæ dicitur Hypate significat terram, & quæ dicitur Parhypate significat aquam; quæ dicitur Nete significat ignem, & quæ dicitur Parenete significat aerem.* Ecce ad lyram quatuor elementa; ast nostrum quadrivium inspicite ad lyram.

LYRICA APOLLINEA QVADRIVIJ

PARAPHRASIS.

Viæ.	Chordæ.	Elementa.
1 *Via Aquilæ.*	1 *Parenete.*	1 *Aer.*
2 *Via Colubri.*	2 *Hypate.*	2 *Terra.*
3 *Via Navis.*	3 *Parhypate.*	3 *Aqua.*
4 *Via viri in adolescẽtia.*	4 *Nete.*	4 *Ignis.*

VIdistisne, quomodo ea, quæ parallela videbantur, amica vicissitudine inter sese ingeminent copulata? Animone pervolvistis proportionem viarum ad chordas; chordarum ad elementa, & elementorum ad vias? Nostrum ergo referebat quadrivium dulcis Apollinis lyra, nostrum decantabat ænigma, ast non dissolvebat, sacra enim retegit solummodo à meis augustis flaminibus, Hierophantisque doctis reseranda. Ita à vobis spero ea alacritate, quam vestra frons pollicetur, ea subtilitate, qua arcana semper vos pandere vidi, ea virtute, qua certamina inire estis experti; accingite iam tantam volutare viam; nec labor deflectat, iucunda namque spatia pro labore paramus; nam vt ait Ausonius; *studium fatiscit, læta nisi lætis varientur festa pro festis.* Recolite monumenta ætatum, & videbitis, quod:

Mos

MOs erat antiquis gyrphis quã maxima festa
Pulchris exornare, vt cũ discrimine vatũ,
Quos fallit cortina arguto tramite texta, (dent.
Gaudia crescant festi, atq̃ ad summum vsq̃ redun-
Hoc illis studium; hoc & nobis texere nostra
Festa placet. Quidni non tanto lumine digna?
Absit. Digna quidem. Ah! Maiori lumine digna.
Lis ergo incipiat, vento curratque secundo;
Ingenio pollens quis non flagrabit amore
Ludi, quem gyrat Sapientia, qua licet, ipsa?
Pulcher adest, mentesq̃ õnes subtegmine pulchro
Allicit, invitat, ducitque ad culmina Cœli.
Eia agite, ò Juvenes, & fortes arma parate,
Vt lauris, & palmis sacra Minerva coronet.
Carpite quadrivium, simul & dissolvite gryphũ,
Quem præsignant nostra sequẽti hoc ordine festa.

THEATRIDIVM FESTORV̄, ET CONCLVSIONVM CAPITVLI.

Quæ incipiunt à die XXIII. Aprilis, vsque ad XXVI.

Prima dies superans fulgore, & lumine totas
Septem soles, & sydera cuncta trahens,
Elysios efflans campos, & thura sabæa
Perpetuis florens clara benigna rosis,
Læta parat cultus in honorem Virginis almæ,
Quæ plus sole micans æthera clara petit,
Construat vt Solis currū, ac creet agmine Cygnos,
Qui vinclis pressi vincula rupta canant.

Favorem tantum dabit primo Sole aureis rivulis eloquentiæ P. PRESENTATUS Fr. ILDEPHONSVS CASTILLA, Turdetanus Commendator.

Supero vero Sole Minervæ scuto muniti ad arenam descendent P. PRESENTATVS Fr. JOSEPH PERETTO, Collegij Hispalensis Divi Laureani Rector, & Fr. JVLIANVS NIñO DE GUEVARA eiusdem Lycæi toga decoratus.

Faus-

Fausto Sole dies fulget, redoletque secunda
Nectare, & ambrosijs, quas bibit, optat apes,
Vt dulcem nostrum celebret, magnumq; Parentem,
Quem mel captivis officiosa parat.

Hac die mira mirè decantabit gesta Sanctissimi Protoparentis nostri P. PRESENTATUS Fr. ANDREAS DE AMAYA Collegij Divi Laureani Regens.

Ad certamen Vespertinum sese Colluctatores parabunt P. LECTOR Fr. DIDACUS LOPEZ, Turdetanus Regens, & Fr. BARTHOLOMÆUS DE ROXAS Laureani Collegij Collega.

Tertia lux, quem optas radijs, & lumine tanto?
Nonnatum Numen lucida, fausta colo.
Nonnatum? Ergo natū, namq; ita reddidit Eccho.
Prodigium natum sic colit ista dies.

Hac luce nostri Raymundi aderit præclarus Orator P. LECTOR Fr. GVNDIZALVS CHACON.

Ad Vespertinam pugnam se accingent P. LECTOR Fr. PETRVS DE ANGVITA, & Fr. PAVLVS DE LOS REYES Musæi Laureani Collega.

Quar-

Quarta dies pallens celebrabit carmine tristi
Patronos, tumulo solvet & exequias.
Ast Vespertinam pugnam dicat ære sonoro
Stellæ, quæ nautis fulget, & alba micat.

Hic die harmonico epicedio renovabit memoriam Excellentissimorum D. D. MARCHIONVM DE FVENTES, & PEñAFLOR huius nostræ Bœticæ Provinciæ Tutelarium P. PREDICATOR Fr. HIERONIMVS CAMPOREDONDO Eliocratensis Commendator.

Metas nostri certaminis pertingent P. LECTOR Fr. FERDINANDVS THAMARIZ, Corduvensis Regens, & Fr. DIDACVS SANTIAGO Salmanticensis Veræ-Crucis Collegij alumnus.



DE-

DE ARGENTATÆ AVRO INTERTEXTO

COLVMBÆ SPECIOSISSIMÆ VIRIDI OLIVA VITAM OMINANTI.

IGNEÆ COLUMNÆ INVIAS RVPES SUPERANTI, ancipites viarum flexus retegenti, orasque beatas Hispaniæ interclusæ inter fragosas syrtes demonstranti.

NVBI SPLENDIDISSIMÆ SOLARIBVS RADIJS refulgenti, quæ lucis ictu *interrumpit petram, & deduxit, tanquam flumina aquas.*

AQUILÆ GRANDI, QUÆ IMAGO COELI E Cœlo dilapsa ad Libanum sole repercussis micantibus plumis novam plantavit vineam, quæ *mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam.*

IRRIGAVIT, AC IRRIGAT EAM LIMPIDISSIMIS, lymphisque viventibus, *quæ fluunt impetu de Libano,* vt semper novo flore redolens, ac semper viridis *in terra bona super aquas multas plantata, faciat frondes, & portet fructum, vt sit in vineam grandem.*

NITI-

NITIDISSIMO TOTO CIRCVMDATO COELO MAGNO APOCALYPSEOS SIGNO NOVAM, REGIAMQVE PROGENIEM ECCLESIÆ PARTURIENTI.

B.MÆ V. MARIÆ DE MERCEDE,

QVÆ NOSTRVM MAGNVM PROTOparentem Nolascum medulla Charitatis Redemptorem pupuli Christiani constituit.

HVIC ERGO REDEMPTORVM TVTElari, & Captivorum Redemptrici hæc sua Bœtica Provincia pro comitijs Provincialibus congregata has Theologicas Theses ex 1. part. D. Thomæ D. O S.

PRI-

PRIMA DIES:

Viam Aquilæ in Cœlo.

Enodatio textus.

FOElici omine incipimus discurrere nostrum quadrivium, præpeti Aquila, quam fuisse volucrem fœlicissimi auspicij nemo nescit, qui humanas historias prelibarit. Illa est, quæ Midam ad montes aureos incredibilium divitiarum antecessit. Illa, quæ Ægonem ad Heraclidorum regnum deduxit. Illa, quæ Hieronem ad Regiam inter Siculos dignitatem excitavit. Illa, quæ Diadumeno pileum auferens, & capite Regiæ statuæ deponens, coronam spopondit. Illa, quæ Tarquinio, ne sua quidem superbia tantum honoris culmen meditanti, Romani Imperij fastigium portendit. Illa, quæ Alexandro prætulit omen duplicis imperij. Illa, quæ ipsum Jovem, in cuius sceptro depicta visebatur, quo facilius ad Divinitatem scanderet, suis humeris fingitur subvexisse, indeque ne rueret, suis viribus conservasse; ac denique cui non semper prospera, fœlixque fuit? Quæ bella vnquam hominum memoria depugnata sunt, in quibus illa fuerit otiosa? Ætates recolite, & videbitis, quod in omnibus fœlices exortus, fœlicioresque exitus fuit auspicata: ergo quam maximam fœlicitatem nobis prædivinat, Regiam maiestatem nobis antedenuntiat. Qualis, qualis erit? Vaticiniū incipiat, perscrutamini iam, & inquirite eam. Sed qua peragrandum? Via Aquilæ. Proh Sacra Minerva! Quis tantam poterit permeare viam, sublimem, arduam, difficilem captu, & Salomoni difficilem? Volatus prodeat. Solis simulachrum pennigerum in tanto trono flagrans stridere alas altis non contenta rupibus, nubila tranans aera spheras rumpit, ardua petit, volat, vires præstat plumis, eo, vt Phæbæa atria scandens, suis obtutibus acie ad aciem radia bibat, bibit qui-

dem, haurit, germanaque luminis volucribus elementis, ac mũdi machinæ sese ostentat. Regia conditio! Ingenium altum! Fastus cursus! Ita, sed intellectui arduus. Animone intento illum perpendistis? Auscultate me quæso. Tria in hoc volucris cursu admiror: modum, præcelsam volatus altitudinem, & clarissimam è tanto fastigio aciem occulorũ. Modum: nam cætera volatilia oblique in altum feruntur; vnde Melampo augur conquæritur, stragem Græcorum conijciens ex volatu:

Vides vt nulla serenos
Ales agat cursus

Ast Aquila recto tramite ascendit. Pulcher ad rem textus Æliani libro 14. cap. 19. *Aliæ aves volandi id circò diverticulis, flexionibusque in Cœlum efferuntur, quod recta non possint: sola Aquila directo volatu in sublime fertur. Aliæ item rectam viam flectunt, cum ad terram delabuntur. Aquila deorsum versus recta fertur.* Ecce modus; attendite celsitudinem cursus, ita eminentis, quod Rab. David super id Isai. 40. *Assument pennas sicut Aquilæ* refert ex Rab. Sahadia, Aquilam quolibet decennio ascendere ad ignem elementarem. Miramini? Attendite visum; ita de perspicuitate gloriatur, vt teste Arist. ad hoc Aquila volet sublimis, vt per quam maximè procul aspiciat; quod illustravit D. Isid. lib. 12. cap. 7. vbi ait: Tantum pollere oculorum acie, *vt cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, ac tormenti instar descendens, raptam prædam pennis adittus pertrahat.* Iam me auscultastis; vestrum nunc iudicium spero. Quid ominatur hæc fausta, miraque via tantis dotibus decorata? Quid prædivinat? Sacra audiamus oracula, nam sacra sacris resolvere licet, Isidorum audiamus, qui lib. 1. epist. 417. apud Corn. *tria sunt,* inquit, *quæ intellectu assequi nequeo, & quartum penitus ignoro, inquit Salomon: viam Aquilæ volantis; hoc autem est Divina Filij natura, quæ nullo humano ingenio comprehendi potest. Et vestigia tua non cognoscentur, ait Divinus Spiritus in Psalm. Vidit autem hanc Aquilam ipse quoque Moses, pennis suis populum in deser-*

to

to contegentem. Mira quidem, & ad rem nostram expositio mira! Quam conformis litteris sacris, & humanis! Quid communius in scriptura, quam Regia hac alite representari Deum? *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deuter. 32. v. 11. & alibi passim. Quid magis repetitum in humanis litteris, quam Deum significari per Aquilam; ideo Ægyptij sapientes, cum volebant Deum significare, Aquilam depingebant; qua propter dicata erat omnium Deorum Deo, scilicet Jovi. Nonne dixi, quod Regiam maiestatem, & omnium fœlicitatum maximam prædivinabat? Certò prædivinat, cum Deum representat. Instituamus ergo certamen Theologicum de Deo; ast vt distinctè de significato loquamur, placet ænigma dividere; cumque in illo, vt ex præfatis constat, fulgeant hæc tria, scilicet, perspicacitas visus, magnitudo alarum, & sublimitas cursus, miraque consonantia respondeant in Deo scientia oculis, voluntas alis, & æternitas viæ, ideò de his in sequentibus Thesibus, D. Thoma duce, tractabimus; qua propter sit.

****
***

ro eorregatrem. Mira quidem, & ad rem nostram expositio mira! Quam conformis litteris sacris & humanis! Quid communius in scriptura, quam Regia hac alite repræsentari, Deum? *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deuter. 32. v. 11. & alibi passim. Quid magis repertum in humanis litteris, quam Deum significari per Aquilam; ideo Ægyptij sapientes cum volebant Deum significare, Aquilam depingebant; quæ propter divina erat omnium Deorum Deo scilicet Jovi. Non ne dixi, quod Regiam maiestatem, & omnium felicitatum maximam prædivinabat? Certo prædivinat, cum Deum repræsentat. Instituamus ergo certamen Theologicum de Deo; at ut distinctè de significato loquamur, placet ænigma dividere, cumque in illo, ut ex præfatis constat, fulgeant hæc tria, scilicet, perspicacitas visus magnitudo alarum, & sublimitas cursus, miraque consonantia respondeant in Deo scientia oculis, voluntas alis, & æternitas viæ, ideò de his in sequentibus Thesibus, D. Thoma duce, tractabimus; qua propter sit.

******

***

*** PRIMA THESIS. ***

De natura Aquilæ.

REgina ſcientiarum altiſsimam, inviſsibilem, & Divinam Aquilam intelligentiarum omnium, omniumque rerum Reginam, Deum ſcilicet, ſub ratione Deitatis reſpicit pro obiecto primario, & ſpecificativo; in cuius naturæ indagatione antiqui deſudarunt Philoſophi, ex quibus aliqui veritatem, licet caligine circumvolutam, adumbrarunt, & quantum naturæ lumen potuit, tetigerunt. Pithagoras hoc ænigmate Deum definivit: *Eſt maximi numerorum exceſſus ſupra proximos numeros.* Ariſtoteles, in cuius ingenio natura oſtendit extremum potentiæ ſuæ, vel quiſquis eſt Author, lib. de mundo quærens, quid ſit Deus? *Hoc in mundo,* inquit, *eſt Deus, quod in navi gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu Imperator.* Empedocles vero rogatus, quid eſſet Deus? Reſpondit: *Deus eſt ſphæra incomprehenſibilis, cuius centrum eſt obique, circumferentia nuſquam.* Rectè quidem iſti Philoſophi Philoſophia ducti naturam Dei deſcriptivè depinxerunt; aſt cum doctrina revelata, quæ ad fidem, & Theologiam pertinet, carerent, non potuerunt hanc Aquilam in abditiſsima, & methaphiſica ſui conſtitutione enucleare. Nos vero, qui Theologia, quaſi pharo ducimur, methaphiſicam Dei conſtitutionem indagamus, aſſerimusque, per nil aliud methaphiſice conſtitui naturam, & eſſentiam Dei, quam per rationem ſubſtantiæ immaterialis à ſe radicaliter intellectivæ intellectione comprehenſiva Dei.

SE-

*** SECVNDA THESIS. ***

De rectitudine viæ.

RECto tramite, & quasi penna immota aera transcurrit Aquila, & recto tramite immobilis, & immutabilis transcurrit tempora Deus: ita Aquila rectum hunc percurrit tramitem, vt totum simul à principio, vsque ad finem peragrasse videatur, & ita Deus in æternitate temporum durationes transvolat, vt absque successione aliqua coexistat simul omni durationi præsenti, præteritæ, & futuræ; altissima sane, recta, & captu difficilis via Aquilæ, altior, rectior, captuque difficilior, via æternitatis, serena, immota, simulque tota Dei durationem mensurans; ideò antiqui Numinis durationem cum pingerent, Pyramidem adumbrabant, sivè lucem igneam incorporei, & immaterialis mundi, quam æternitatem vocabant, vt sine diverticulis, sicut via Aquilæ, hanc, quam Deorum putabant, depingerent viam; qua propter rectè à Boetio diffinitur: *Est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possesio.* Et non solum materialiter, & identice est duratio, sed formaliter est ipsa ratio Divinæ durationis, non taliter, quod realiter mensuret esse Divinum, sed tantum virtualiter, & per modum rationis formalis. Cum autem æternitas omnia tempora in se eminenter contineat, celebre exagitant Theologi dubium: an, scilicet, futura, quæ sunt habitura esse in tempore ab æterno phisicè coexistant Deo in æternitate? Cui difficultati affirmativè respondemus.

****

***

TER-

TERTIA THESIS.

De perspicuitate visus.

ACies occulorum Aquilæ nos ducit ad aciem occulorum Dei, ad suam, scilicet, altissimam, & incomprehensibilem scientiam, qua adinstar Aquilæ, quæ ex æthere pisciculos natare videt, ex alta sede magnitudinis suæ *profunda fluviorum scrutatur* (ex Job cap. 28. v. 11.) *& abscondita in lucem producit*, numerans in littoribus arenas, in Occeano pisciculos, stillantes pluviæ guttas, arborum frondes, momenta temporum, hominum, & Angelorum cogitationes, quæ sunt, quæ fuerunt, & in omnem æternitatem sunt futuræ. vnde nil aciem eius mẽtis effugere potest. *omnia* (inquit Apost. ad Heb. 4. v. 13.) *nuda, & aperta sunt oculis eius* Ex quo in admirationem raptus sic exclamat, ad Rom. cap. 11. *o altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*! Ast licet hæc omnia tanta perspicuitate cognoscat, tanta cognitione comprehendat; primario tamen, sicut Aquila in Solem, collimat in suam essentiam, quæ provt virtualiter distincta ab attributis, & relationibus est obiectum primarium tam motivum, quam terminativum Divini intellectus, in illaque vt causa prius cognita cognoscit creaturas possibiles secundum proprias, & particulares rationes; futura vero cognoscit in ipsamet essentia, vt determinata per decretum Divinæ voluntatis, per quod constituitur futurum in ratione talis.

***

QVAR-

QVARTA THESIS.

De pulchritudine alarum.

AD perspicuitatē visus sequitur in Aquila pulchra magnitudo alarū, quibuscum pulchrius, quam cæteræ volucres sese per aera librat, nam *volatus* vt in Polyanth. dicitur *quanto serenior, tanto laudabilior est* Sequitur merito magnitudo alarum ad perspicuitatem visus, vt plumis freta se ferat Aquila ad fruendum ijs, quæ occulorum acie prævidit; sequitur etiam in Deo ad altissimam, & incomprehensibilem aciem suæ scientiæ voluntas perfectissima infinitè laudabilior, quia infinitè serenior, est enim per essentiam immutabilis, vnde quidquid Deus ab æterno vult, non potest non velle, quæ necessitas non tollit eius libertatem, cum non sit absoluta, sed ex suppositione sibi libera; vnde sua voluntate, quasi aligero vehiculo fretus, fertur in ea, quæ sua scientia prævidit; cumque primò se prævideat, & postea creaturas cognoscat, duplicem terminationem, quasi duas alas consideramus in eodem actu Divinæ voluntatis, vnam, qua primò se diligit, tanquam finem, aliam, qua alia à se secundario vult, vt purè media, hæc libere, se autem necessario; vnde forma constituens actum liberum Divinæ voluntatis est ipsa intrinseca libera terminatio ad creaturas.


S.P.N.CO FVND.OR DEL ORDEN DE N.A S.A DLA MERCED

SOLIDISSIMÆ PETRÆ,

SVPRA QVAM SVPREMVS OPIFEX TEMPLVM CLEMENTIÆ CONSTRVXIT, SEPTEMQVE DEPINXIT COELOS CLARISSIMIS septem occulis, quibuscum illam ornavit, vt toto refulgens Cœlo, Cœlum refulgeret afflictis.

POLITISSIMÆ, INQVAM, PETRÆ, CVIVS sculpturam cælavit Deus, ne Christifera Imago, quam in ea munere insculpsit, invidi serpentis incursibus deleretur.

CANDELABRO AVREO FVLGORIBVS CHARItatis circumvoluto, olivaque misericordiæ ornato. Carbunculo ignito, cuius ardorem nec ventus obruit, nec Occeanus restinxit. Amœnissimo virtutum viridario, Divina rorante Aurora, in gemmas, & aromata Paradisia erumpenti.

SANCTISSIMO PARENTI
nostro.

D. PETRO NOLASCO,

QVEM DEVS *GLORIFICAVIT IN CONSPECTV REGVM, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.* Quem, iuxta Isaiæ dictum, *dedit Dominus in fœdus populi, in lucem Gentium, vt aperiret occulos cæcorum, & educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Cuique Dominus gloriam Redemptoris dedit, & Solem Cœli Mercedarij constituit.

Tanto ergo Patri, cuius laudibus quid sunt linguæ centum, & ora centum? hæc sua Bœtica Provincia has Theologicas Theses ex 1. 2. D. Thomæ
L. V. S.
D

SECVNDA DIES:

Viam Colubri super terram.

Enodatio textus.

NOn anguis caduceo insertus inter florida rostra Amaltheæ, sed repens per humum nobis auspicandus se offert: si implicatus caduceo nostris se præberet obtutibus, ex tunc fœlicem, fortunatamque viam vobis ex Alciato pollicerem:

Pollentes sic mente viros, fandique peritos
indicat, vt rerum copia multa beet.

Ast per terram repens, nescio quam viam nobis prædivinet, nam cum in serie ætatum, litteris que varijs varios indicarit eventus, quá huius viæ ænigma dissolvam, distrahor ancipiti cura; si nanque in memoriam reddimus serpentem illum æneum, quem cum percussi aspicerent, sanabantur, ecce auspicium fœlicissimum, quo nullum maius, totius nostri remedij; ita sane, sed ecce in eodem capite ignitos serpentes læthale virus evomentes in castra. Si serpens in caduceo Mercurij erat hieroglyphicum prudentiæ, in Alecti capite denotat furiam, illinc esse pro stemmate pacis, hinc vero pro pace evertenda, nullus ignarus extat, latoque calamo cecinit Mantuanus lib. 7. Æneid.

Huic Dea cæruleis vnum de crinibus anguem
conijcit, in que sinum præcordia ad intima subdit,
quo furibunda domum monstro permisceat omnem.

Si in Pellæi scuto illius cantabat gloriam, Juvenale testante satyr. 10 *Vnus Pellæo iuveni non sufficit orbis.* Ecce in nostris laminis circumvolutus ad orbem nostram memoratur miseriam, ast ibidem, ibidem pro Virginis tropheo, celebratissimum pervulgat Virginis triumphum: *Ipsa conteret caput tuum.*

Si in hieroglyphicis Memphis mundi machinam referebat, eodem signo, quo vitam, & incrementum, decrementum, & ruinam figurabat. Sed quid licet mundi gloriam exprimeret? Qualis, qualis est? Consule Heraclitum semper illam plorantem, vide Democritum continuo risu irridentem; Heraclitus nihil nisi miserias videbat, ideò plorabat, Democritus tanquàm scænam vanitate, & in sanijs compositam illam considerabat, ideò ridebat. Quidni si oppositum diceremus? Acquiesceremus quidem menti cuiusdam Recentioris celebratissimi, & ingenio admirabili præditi, hic ergo in quadam academia Romæ habita, vt suam extolleret pro Heraclito partem, dixit, quod Democritus cum ridebat, plus Heraclito plorante plorabat. Hucusque ingenium. Si serpens tempus exprimebat, & annum, in ipsomet adumbrabat: nam Syri, & Hebræi dictionem *tempus* pro calamitoso rerum statu ponere consueverunt: ergo sicut quædam laminæ ambiguæ nobis apponitur anguis: hàc albo, illac nigro videtur figuratus Lapillo.

Optimè perorasti, sed perge Minerva: nonnè depingitur pro symbolo iuventutis perpetuæ? Ita, sed si vobis placet, auscultate ex Nicandro fabellam. Jovi suplicarunt olim mortales, vt illos locupletaret dono iuventutis semper florentis, vt ita nunquam in posterum senio contabescerent; Jupiter verò semper benignus iuventutem fuit elargitus, hanc igitur simulatque receperunt onagro vectandam mandarunt. Vidistis nè imperitiam? adeste igitur, quæso, animis. Onager siti confectus cucurrit ad fontem, vbi serpens stabat pro custodia, cumque tentasset bibere, prohibuit serpens, neque illinc bibiturus, nisi onus, quod portabat, illi pro mercede concederet, placuit onagro, & serpenti tradidit munus amplissimum iuventutis. Ecce ex quo tempore omnes angues senectute singulis annis abiecta renascuntur, homines vero senio confecti emarcescunt. De quo Tibulli querimonia.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
cur nos angusta conditione sumus?

Siste

Siste iam, siste Minerua, nam nostros conduxisti animos non ad fabulam, sed ad veram geneseos historiam de egregia illa primæua creatura ad imaginem, & similitudinem Dei formata, huic enim revera accidit, quod fabulose ex Nicandro recensisti. Iuventute semper florescenti protoparens noster ditatus immortalis erat beneficio conditoris: habitabat (ita Bernard. loquitur Serm. 35. super cantica) *habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio eius: nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat, & odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus gloria, & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris; magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors, & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cœlestis exercitus; sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Heu miser! Quare de fœlicitatis vertice ad tantam proruisti miseriam? Recole quæ dixisti de onagro iuventutem portante, & Davidicam ausculta sententiam: *Homo cum in honore esset, non intellexit comparatus est iumentis, & similis factus est illis;* vt iumentũ insipiens immortalitatem, & alia quam plurima dona, quibuscum illum locupletavit Conditor, non intelligens, acquievit consilijs serpentis, ideo excellentissimum hoc donum deperdidit, vitamque laboriosam ad senium properantem traduxit in posteros.

Quam omptime è tenebris fabulæ veritatem historiæ scripturæ innixi eduxistis. Sed proh dolor! rara stoliditas, quam de nostris parentibus retulistis! insania rara! nuncque animadverto bacchantium voces echo mysterioso ad rem nostram facientes. Qui enim Bacchum plaudebant, hac voce *Euoe* vtebantur in festis, quod meminit Ennius in Athamante apud Cerd. tom. 2. Æneid.

Tum pariter Euan, Euoe, Euoe, Euius,
ignotus iuvenum cœtus, alterna vice
inibat alacris, Bacchico insultans modo.

Sed in his quæ paritas cum historia relata? Purgatis auribus hæc excipite. Nonnè mos erat, convivia, & pocula Bacho sacrari? Hæc ergo convivium pomi noxialis mentibus repetebant:

bant: ideò notant ſacri Scriptores, quod in illis feſtis ſerpens adhibebatur, qui ſyriaca lingua dicitur Eva. Epiphanium accipite in Epiſt. Librorum contra Hæreſes. *Et carnium distributionem (inquit) habent in ſacris, ſerpentibus coronati clamantes Euoe, Euoe: illam adhuc Euam à ſerpente deceptam invocantes, aut per aſpiratam vocem ex hebraica lingua ſerpentem ad ſuum errorem evocantes. Eua enim citra aſpirationem Hebræis mulierem, cum aſpiratione ſerpentem ſignificat.* Clementem etiam Alexandrinum in Protreptico ita ſcribentem auſcultate: *Celebrant carnium diviſionem coronati ſerpentibus vlulantes Euam::: iam vero ſi accurate vox ſpectetur Hebraica, nomen Heua aſpiratum exponitur ſerpens femina.*

Legiſtis iam in ipſomet nomine ſerpentis totam protoparentum ruinam? Si ergo cum hac ita connectitur ſerpens, via appoſita colubri ſuper terram illam auſpicabitur viam, quam ad inſpirandum venenum paradiſum verſùs arripuit. Aſt Iſidorum Peluſiota vbi ſuprà auſcultemus, qui ita proſequitur in noſtri ænigmatis declaratione. *Et viam ſerpentis in petra* (ex Hebræo legit *petra*) *obliquæ, ac ſinuoſæ illius viæ ſunt, qui mandati transgreſſionem nobis inſuſurravit, quæ quidem peccata ſunt.* Mira expoſitio! accomodatiſsima enim materijs, quæ in 1. 2. tractantur. Sed vt cum claritate, qua eſt animus, procedamus, viam pro dividendis materijs dividemus: cumquè in qualibet via tria inveniantur, principium, ſcilicet, medium, & finis, tria hæc conſiderabimus in colubri via, fallaciam, videlicèt, vulnus, & medelam: in principio fallaciam, dein vulnus, & in fine medelam exhibemus, ſcilicet gratiam, qua propter ſit.

P RI-

*** PRIMA THESIS. ***

De via Colubri super terram.

LVbrica, obliqua, captuque difficilis est via, quam præ oculis habemus: nàm cum coluber ocyssime reptet per terram, nulloque attactu volutus iam se in orbem torqueat, iam se secum ipso nectat, iam denique sinuet immensa volumine terga, ideo animo horrorem incutiens, satisquè operosa est via; meritò de illa tractans 4. Metamorph. Sulmonensis Olor, dixit.

pallorque fores infecit acernas.
Sol que locum fugit, monstris exterrita coniux
territus est Athamas.

Plus tamen difficilis, plusque terrefaciens enodata iam via; videns serpens, inquit Chrisost. in cap. 3. Gen. hominem formatum in summo esse honore, & nihil minus habere Angelis ipsis, ad beatitudinem creatum, & in Paradiso voluptatis positum, invidia rosus, quoniam cum ipse esset inter supernas virtutes, ob voluntatis suæ nequitiam è summo illo Cœlo, ad quod homo transferendus erat, fuisset proiectus, magna est vsus machinatione, vt ab ista via illum deflecteret, sic non perveniret ad fruendum illo fœlicissimo fine, ad quem erat ordinatus; qua propter dicimus, veram hominis beatitudinem in nullo bono creato, sed in solo increato consistere, cum hoc tamen stat, quod sola essentia Divina sine Personis non sit sufficiens ad hominem beatificandum.

SECVNDA THESIS.

De fallacia serpentis.

ECce principium viæ, difficilimum sanè. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederitis ex omni ligno Paradysi?* Vbi ita Chrysost. aureo calamo: *Considera, obsecro malignitatis excellentem subtilitatem. Inducit enim subratione consilij, & interrogationis; etiam quod non erat dictum: quasi diceret; quare Deus privavit vos tanta fruitione? Cur non concedit, vt participes sitis bonorum, quæ sunt in Paradiso? Sed præstitit quidem, vt visu frueremini, maiori tamen voluptate interdixit; ideò maiorem fertis dolorem, quod spectare quidem vobis licet, frui non licet.* In quibus verbis manifestum apparet, quod tota industria serpentis erat nostros inclinare Parentes, vt libertate vterentur pro quocumque extremo; & ideò inquit P. Cornelius, quod serpens huic interrogationi præmisit alios sermones; v. g. de libertate, & dignitate naturæ humanæ. Optimè in hoc cognoscitur serpentis calliditas; cum enim ratione liberi arbitrij homo sit imago Dei, vt tantam aboleret imaginem, ex libero arbitrio ansam arripuit; non enim aliomodo poterat homo tanta orbari venustate, quam liberè, & voluntariè illabens in actum pravum, erat namque liber libertate indifferentiæ, quæ necessariò requiritur, vt actus nostri sint moraliter boni, vel mali, eorumque bonitas moralis methaphysicè constituitur in ratione talis per respectum realem trascendentalem ad obiectum, vt conforme regulis morum, vnde repugnat actus moralis in individuo indifferens. An autem possit idem numero actus esse bonus ex obiecto, & malus ex fine operantis? Est celebre inter Theologos dubium, & conclusione negativa illud resolvimus.

TER-

TERTIA THESIS.

De vulnere illato.

NEquaquam morte moriemini, prosequitur Serpens, *scit enim Deus, quod in quocumque die comederetis ex eo, aperientur occuli vestri, & eritis, sicut dij scientes bonum, & malum.* Læthale per hæc verba inspiravit venenum; nam consentientes huic fallaciæ nostri Parentes, de ligno vetito comederunt. Ecce stationem viæ colubri semper mirandam, deplorandamque semper. Quòd conaretur hominem ad peccatum inducere, non est mirum in sua conditione; quod verò homo consilijs serpentis acquiesceret, hoc certè in admirationem rapit. *Quis nos separavit à charitate Dei?* Exclamat Paulus, & resolvit, quod nulla creatura nullus principatus est sufficiens, quia homo charitate Dei fultus superat omnem creaturam; quomodo ergo nostri Parentes tanta charitate locupletati superantur à serpente? Si Dei præceptũ tunc memorantur: *Præcepit nobis Deus, &c.* Quomodò transgrediuntur? Hoc nequibat Salomon intellectu assequi, hocque Sancti P. P. mirari non sistunt; inter quos sic Chrisostom. loquens cum Eva: *Te aversabundam ab eo, qui diversa à Deo dixerat, dicere: Apagè, impostor es tu, nescis neque mandati nobis dati potentiam neque quantis fruimur, neque copiam eorum, quæ nobis suppeditantur.* Et postea: *Quid fecisti ò mulier? qui hoc consulebat, ex subditis erat, & servis, & sub tua potestate erat; quare sic te ipsam confudisti? deditque viro suo, & comedit.* En peccatum originale, quod totam naturam infecit, & in omnes posteros Adami per generationem traducitur vnde dicimus, esse posteris voluntarium non formaliter, sed terminativè, non quidem physicè ex ordine ad propriam vniuscuiusque voluntatem, sed moraliter ex ordine ad voluntatem Adami continentis per modum capitis omnium hominum voluntates.

QVARTA THESIS.

De medela curante.

SIcut in naturalibus morſus ſerpentis myrrha oleo mixta, docente Plinio, curatur; ſic in ordine ſupernaturali morſus ille læthalis, quo ſerpens totam in Adamo vulneravit naturam, curatur, & aboletur ſuaviſſimo oleo Divinæ gratiæ, quam iam iam præparabat Deus Adamo in illa miſericordioſiſſima vocatione: *Et vocavit Dominus Deus Adam.* Vbi Chriſoſt. *Vide igitur bonum Dominum; vt ſuam declaret miſericordiam, ad illorum ſe infirmitatem demittit, & ad peccatorum confeſſionem provocat.* Quamque ad huiuſmodi peccatum originale delendum confert nobis per Baptiſmum; aſt, cum homo, licet maneat liber à peccato, non tamen cum robore illo naturali liberi arbitrij, quod habebat ante peccatum primi Parentis, ideò dicimus, quod in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt cum ſolo concurſu generali Dei, Deum, vt Authorem naturæ dilectione efficaci ſuper omnia diligere, nec poteſt ſine ſpeciali gratia totam legem naturæ quoad ſubſtãtiam obſervare, nec ex viribus naturæ diu vitare peccata mortalia, quæ ſunt contra legem naturæ. Ad perſeverandum finaliter in gratia præter gratiam habitualem, & auxilia communia ei connexa requiritur aliud donum, ſeu auxilium ſpeciale, & hoc etiam in adultis, qui poſt acceptam gratiam citò moriuntur, & in parvulis baptizatis decedentibus ante vſum rationis. Similiterque homo in ſtatu ìnnocentiæ indigebat ſpeciali auxilio ad perſeverandum infallibiliter vſque in finem ſtatus viæ; hoc enim donum perſeverantiæ conſiſtit formaliter in coniunctione gratiæ cum morte ex efficaci glorificationis intentione imperata.

***

LV-

151



S. RAYMVNDVS NON NATVS CARDIN.

LVCIDISSIMÆ FLAMMÆ DE TENEBRIS SPLENDESCENTI.

PHOENICI SACRO DE CVNABVLIS MORTIS vitam auſpicanti.

DIVINI VERBI PRÆCONI EXIMIO, CVIVS VOCES nec ignita acus potuit alligare, queit ſupprimere, erat enim dulciſsima cythara harmoniæ Cœleſtis clariſsima echo, quomodò tacitura? *Concentum Cœli quis dormire faciet.*

HEROI SACRO, STVPENDO VIRO CVIVS egregia pignora nomina Ieſu, & Ieſuparæ à prima luce in maniculis cœlitus inſculpta, proh Deus! præſignarunt.

PRODIGIO NATVRÆ, ET VIRTVTVM EMBLEmati omnium excellentiarum infulis circumfulto.

SACRÆ NAVI, QVÆ MORTIS SCOPVLVM tangens, meruit à Nauclero ſupero cœlitus dilapſo pane Sacramenti fulciri, vt ad portum gloriæ vela ſecunda daret.

S.MO RAYMVNDO NONNATO

HORTI MERCEDARIJ DECORI ORNATISSIMO, ſacraque purpura inter Dynaſtas Eccleſiæ quàm maximè ornato.

Tanto ergo viro hæc ſua Bœtica Provincia has Theologicas Theſes ex 2.2. D. Thomæ D.O.S.

TERTIA DIES:

Viam Navis in medio mari.

Enodatio textus.

NOstræ classis fortunam, textusque enodationem inchoet Delphin, colluctantibus vndis, ventisque vehementer perflantibus, turbato ponto, ponti ad littora abiectus. Sic loquitur apud Alciatum emblem. 166.

Delphinem invitum me in littora compulit æstus
Exemplum in fido quanta pericla mari.
Nam si nec proprijs Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines navibus esse putet?

Optimum quidem emblema pro auspicandis ponti periclis, viva in hac tragica depinguntur fortuna, vna tamen vobis placeat Juvenalem audire apud Alciat. vbi supr.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, si sit latissima tæda.

Hæc ergo via nullis, quam cœlo terminis definita, à nobis adeunda paratur; hæc, quam nostra ratis scopula, & Syrtes, flante Favonio, superatura tranare desiderat. Verum enim verò tanta via à via nos posset deflectere, navis securitas animos instruit validissimè que virtutem ad cautes labefactandas confirmat. Pulchra extat tota vittata, ornata aplustris, redimiculis plena, sic nos allicit in ipsam ascendere. Eia ergo Delphinis immemores fœlicissimo; ni fallor, auspicio vela demus, monumentaque ætatum, & rationum protedegendo ænigmate revolvamus.

Pro comperto erat antiquis, navem quoddam abditissimum arcanum significare, & ideò Græci Theoridas habebant naves magnis ceremonijs consecratas, quibus Deliastæ vtebantur,

tur, & Theori, ad Deorum oracula petenda. Easdemque tantæ fuisse venerationis apud Athenienses, accepimus, vt cum eas Sacerdotes solemni more coronavissent, ad plures dies nefas putaretur vi legum, & iudiciorum quemquam vita spoliare. Ægyptij quoque Barim habuere sacram navem religione cultam, atque omnium opinione Divinam; notatumque fuit à scriptoribus, inter minas maximè metuendas, formidabilesque in Ægypto fuisse, siquis diceret: *Sistam Barim.* Fuit etiam celeberrima navis Argo, de qua dicitur in Cœlo fuisse positam, & magnis stellis, velut vnionibus, & pyropis coronatã. Quin & ab ijs quoque temporibus quibus lux Christiana mortalibus illuxit, reperti sunt Manichæi, qui dicerent, Solem ipsum aspectabilem, quem aiebant, esse Dei Filium Iesum, habère navis effigiem pulcherrimè, atque Diviné compositam, adeòque hominũ animas æui lavoribus ereptas fieri navigia, quæ in beatissimam lucem penetrarent. Si ergo apud antiquos tanti erat habita navis, si templum vitæ, si propè divinum arcanum, videamus iam, quid nostra ominetur. Ast ad aliam navem nos vocat, ad aliam nos cogit ascendere. Ad quam? Ad illam institoris navem, quæ refertur cap. seq. *Facta est, quasi navis institoris de longè portans panem.*

Quid agis Minerva? De portu nos vocasti ad æstum, de littore ad navem; iam in puppi sumus, tranemus; non ad aliam conscendere intendas; ecce vbi sumus, in medio maris, vbi solum Pontus, & æther; quare de navi ad navem periclis pericula addis? Non de navi ad navem, non de vna ad aliam, vos voco de thypo ad Protothypum, de vmbra ad lucem, de figura ad veritatem, de periculis ad portum, de allegorica navi ad Ecclesiam. Hæc est navis institoris de longè portans panem domesticis suis, & huius navis via est, quæ absconditur in ænigmate apposito de via navis. Audite Authorem operis imperfecti in Math. apud Chrisost. hom. 23. nectentem navem institoris cum nostra gryphica via, & pro eodem vnam, & aliam vsurpantem, mirèque nostrum ænigma dissolventem: *Facta est, tamquam navis mercaturæ longinqua,*

idest

idest Ecclesia, quæ navigantibus Apostolis, gubernante Domino flante Spiritu Sancto prædicationis verbo vbique discurrit, portans secum magnum, & inæstimabile pretium, quo omne genus humanum, vel potius totum mundum sanguine Christi mercata est, de quo idem Salomon cap. 30 v. 19. retulit dicens, vestigium navis pelagizantis inveniri non posse ostendens conversationem Ecclesiæ non terrenam esse, sed Cœlestem iuxta id, quod Apost. ait: nostra conversatio in Cœlis est.

Audistis iam in fœlicissimum, fortunatissimumque auspicium reseratum ænigma? Gratulabundi estote, timores iam depellite, & quidquid adversum in hoc fluctuante sœculo occurrit, inter allatrantes scyllas, insidiantesque Charybdes, vt strenui Cœlorum argonautæ fortiter superare contendite, vt mercedem auream à Nauclero supero recipiatis. Sed si vela sunt danda certamini, incipiamus. Sed quia in hac sacra navi quam plurima sunt ornamenta; septem, videlicet, sacramenta, ex quibus componitur, & articuli fidei, pulchræque virtutes, & dona, quibus decoratur, tempusque non permittat omnia enucleare, nec littera D. Thomæ, quæ ad hunc diem pertinet, spatium offerat, ideò quatuor tantum, quæ 2. 2. accomodari possunt, elucidabimus, Nauclerum, scilicet, Pharum, anchoram, & arborem, quæ dicitur maior; hæcque pro summo Pontifice, Fide, Spe, & Charitate declarabimus. Qua propter sit.

PRI-

ubi Ecclesia quæ navigantibus Apostolis, gubernante Domino flante Spiritu Sancto prædicationis verbo ubique discurrit, portans secum magnum, & inæstimabile pretium, quo omne genus humanum, vel potius totum mundum sanguine Christi mercata est, de qua idem Salomon cap. 30. v. 19. refert dicens, vestigium navis pelagi, ratis invenire non posse ostendens conversationem Ecclesiæ non terrenam esse, sed Cælestem iuxta id, quod Apost. ait: nostra conversatio in Cælis est.

Audiftis iam in felicifsimum, fortunatifsimumque aufpicium referatum ænigma: Gratulabundi eftote, timores iam depellite, & quidquid adverfum in hoc fluctuante fæculo occurrit, inter allatrantes fcyllas, infidiantefque Charybdes, vt ftrenui Cælorum argonautæ fortiter fuperare contendite, vt mercedem auream à Nauclero fupero recipiatis. Sed fi vela funt danda certamini, incipiamus. Sed quia in hac facra navi quam plurima funt ornamenta; feptem, videlicet, facramenta, ex quibus componitur, & articuli fidei, pulchræque virtutes, & dona, quibus decoratur, tempufque non permittat omnia enucleare, nec littera D. Thomæ, quæ ad hunc diem pertinet, fpatium offerat, ideò quatuor tantum, quæ 2. 2. accomodari poffunt, elucidabimus, Nauclerum, fcilicet, Pharum, anchoram, & arborem, quæ dicitur maior, hæc que pro fummo Pontifice, Fide, Spe, & Charitate declarabimus.

Qua propter fit.

PRI-

PRIMA THESIS.

De Nauclero.

QVò pergeret sine Nauclero navis? quomodo agitata procellis Syrtes fugeret, fluctuans inter saxa saxis non adhæresceт? Qüò contra Aquilonum furias firmaretur? Quem Polum versus clavum duceret, vela daret? Quem epibatæ consulerent, quà esset eundum? Certò inter se divisi iam hùc, iam illùc ducentes navem operas perderent, miseraque ruina perirent. Sic nostra mystica navis fundata in montibus altis, & inter Occeanum fluctuantem sæculi naufragij expers ad portum cœli enavigans, quid faceret inter caliginosas vmbras tempestatum, inter imbres, & faculas hæresum, inter syrenes, quæ quotidie renascuntur, melleam mortem accinentes, inter fluctus, & æstus hinc inde colluctantes? Quid, quid faceret sine Nauclero? audi Sanctum Hieronim. adversus Luciferianos: *Si non sit in Ecclesia vna eminens potestas tot futura sunt schismata quot Sacerdotes.* Vnde dicimus necessarium esse ponere in Ecclesia vnam supremam visibilem potestatem, vnum Archigubernum, vnum, scilicet supremum Pontificem, qui proponat, & determinet res fidei in quibus errare non potest, videlicet in approbatione, & emendatione librorum canonicorum scripturæ, & traditionum Apostolicarum in confirmatione Conciliorum, in canonizatione Sanctorum, in legibus regulativis morum, & in confirmandis Religionibus; dicimusque hanc supremam potestatem fuisse à Christo Domino concessam Petro primo Pontifici, & omnibus suis successoribus, rite electis quorum quemcumque fuisse verum Pontificem summum est immediate de fide Divina, non solum secundum se, sed etiam quoad nos; qua propter dicimus hàc veritate gaudere, Sanctissimum Patrem nostrum Clementem XI. esse Ecclesiæ caput, & successorem Petri.

SECVNDA THESIS.

De Pharo.

V*Idemus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* 1. *ad Cor.* 13. Per speculum videmus, cū per fidem videmus inquit Paulus. Nè per speculum videmus, cum per crystalla Phari lucē cognoscimus? Ita experimur. Videmus nè lucē acie ad aciem? minime, crystallus interponitur; ast certò illuminamur, certò ducimur, quaquaversus eamus, præeunte pharo. Ita contingit nautis caliginosa nocte tranātibus; pharo illuminantur, pharo retegunt dolosas cautes, fallentes aggeres arenarum, naves inimicas, loca scopulosa, & saxa, pharo denique portum, & oras quærunt. Hoc, quod nautis accidit, nobis epibatis Cœli contingit: in caliginosa nocte huius sæculi hoc tranamus Occeanum vsque dum ad desideratissimum portum accedamus; sed quà ibimus? Quà pharus ducit, quà fides docet, hæc est pharus, qui licet recludat lucem, luce repercussus illuminat, ideo per illum sicut per speculum nunc cognoscimus; vnde recte ab Apost. diffinitur: *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Eius obiectum formale *quod* est Deus sub ratione primæ veritatis in essendo, prout autem est veritas prima in dicendo est obiectum formale *sub quo*; obiectum materiale sunt omnia ea, quæ divina revelatione nobis innotescunt. Obscuritas ex parte obiecti formalis pertinet ad rationem formalem motivam fidei, vnde in eodem intellectu non possunt simul esse fides, & scientia de eadem veritate. An autem cum evidentia in attestante posit compati fides? Celebratissimum est inter Theologos dubium, dicimusque, optime compati posse, etsi adsit cognitio infallibilitatis Dei, & sensus in quo loquitur.

TER-

TERTIA THESIS.

De Anchora.

F*ortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Paulus ad Heb. 6. Ecce Paulus tribuens spei epithetum anchoræ, & meritò dicit Chrisost. apud Cornel. hic: *Quia sicut firma anchora in mari navim inter fluctus, & ventos firmam, illæsam, & inconcussam retinet, & conservat, ita spes inter tentationes, omnesque huius sæculi agitationes, quibus in hac vita, quasi navigantes iactamur, animam firmat, & corroborat, vt solida, immobilis, constans in fide studioque virtutis consistat.* Vnde Alciatus depingens spem, navim depinxit fluctibus agitatam, fidentem solatio anchoræ non labefactandam.

Innumeris agitur Respublica nostra procellis,
Et spes venturæ sola salutis adest.

Ast licet decoretur anchoræ symbolo discriminatur ab anchora, quod hæc in profundo iacitur, spes verò in summo, scilicet in Cœlo, Deoque ipso defigitur; vnde obiectum eius formale est sola Beatitudo æterna, scilicet Deus, ratio vero formalis *sub qua* est Deus, vt auxilians, non vero arduitas obiecti sperati, vel eius bonitas, vt nobis conveniens; vnde dicimus, non remanere in Beatis; nec in illo, cui Deus suā damnationem revelaret, licet posset adhuc gloriam desiderare, & concupiscere.

QVAR-

QVARTA THESIS.

De arbore maiori.

M*Aior autem horum est Charitas* 1. ad Cor. 13. Maior fide, & spe hic proclamatur charitas; maior proclatur, & arbor maior: maior, quia superiminet illis, quia vmbras fidei præter greditur, quia penetrans cœlos, & spei suspiria se se totam in Deum immittit, vt eterna illa pulchritudine, quam fides ostendit, & spes optat, fœliciter perfruatur: *secedit à se* (ait August.) *& excedit à sensibus, vt se non sentiat quæ Deum sentit.* Arbor quia omnes virtutes quasi viridi, frondosique rami ex ipsa prodeunt, ipsi inseruntur, & ab ipsa animantur. *Vt enim* (inquit Greg.) *multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur.* Est ergo arbor maior, quia sicut in ista vniuntur omnia vincula alarum, quibuscum navis tendit ad portum, ita charitas vnit hominum voluntates, qua vnione Ecclesia est vna cum Christo, & tendit ad Deum; qua propter dicimus charitatem esse vere, & proprie amicitiam hominis ad Deum, formamque creatam à Spiritu Sancto distinctam, & animæ intrinsece inhærentem. Eius obiectum formale est bonitas solius naturæ Divinæ, vt ab attributis virtualiter distinctæ. Charitatem, vt se extendit ad Deum, & ad proximum esse vnius speciei atomæ propugnamus.

CLA-

167



CLARISSIMÆ VIRGINI

CLARISSIMIS DOTIBVS NATVRÆ, ET GRATIÆ DECORATÆ, CVIUS ANIMVS ITA A PRIMA ÆTATE GLORIOSA RESPVIT cunabula, suæ domus pompam, sæculi illecebras, & altæ stirpis memoriam, vt in Lotum conversa videretur, ex illoque melius, quam Vestales Virgines crines vanitatum pependit, vt Divinæ Vestæ Sacra ignem Virginitatis inextinctum servaret; ita fuit, sed maiori, quàm loti dulcedine degustata, illius scilicet, delicati, & fragrantissimi vini, in cuius cellam illam introduxit Sponsus, vt ordinatione Charitatis accensa, mũdi oblita tota ad Sponsum cõverteretur, in cuius amplexibus ita exarsit, vt dicere iam potuisset: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

HÆC DVLCEDO ILLAM INCITAVIT AD suspendendos crines vanitatũ ex Loto sacratius, quam Vestales Virgines, vt in templo Vestæ (sistat allegoria) vt in Templo Mariæ inextinctum servaret ignem castitatis.

HORTI MERCEDARIJ FRAGRANTIORI Lilio, pulchriorique Rosæ.

SANCTÆ MARIÆ DE SVBSIDIO

FAMILIÆ REDEMPTRICIS DILECTISSIMÆ Filiæ, cuius auxilium in nautas fœlicius Castore, & Polluce cognomen de SOCOS lingua Vernacula dedit.

Tantæ ergo Heroinæ hæc sua Bœtica Mercedis Provincia pro novi capitis vltima congregatione has Theologicas Theses ex 3.p.D.Thomæ V.L.S.

QVARTA DIES.

Viam Viri in adolescentia.

Enodatio textus.

ERgo tandē aliquando ad metas nostri certaminis erat deveniendum; tandem aliquando licebat vltimā pertingere viam; pertingimus iam, accessimus; sed si animo estis defessi, novo valore vires instruite, nam difficilior præcedentibus extat: *Et quartum penitus ignoro. Viam viri in adolescentia.* Penitus ignorabat Salomon appositam viam, & merito: est enim divinatione, & iudicio perdifficilis, nam, vt ait Seneca tragœd. 9. *Teneris in annis haud clara est fides.* Est ætas mobilis, & ad omnia facilis iuxta illud Virg. 3. Georg. *Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis ætas.* Vnde venustum est, & suo ingenio dignum acroama D. Augustini, serm. 246. de temp. *Flos ætatis, periculum mentis.* Volitat enim liberius iuventus in experta mali sui, & incauta, & velut Sardonijs herbis satura, per ludum, atque iocum mori properat, qua propter dixit Horatius.

imberbis iuvenis
gaudet equis, canibusque, & aprici gramini campi
cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
vtilium tardus provisor.

Hanc ergo viam certamini offero. Hanc? quid dixi! decetnè cætum tantum de puerili disputare via? Absit: ad hoc tamen littera textus me induxit, sed si spiritum bibimus, altiorem, altissimam, gloria circumvolutam, ex spiritu reserabimus viam. Auscultate Ambrosium apud Cornel. hic sic enodantem hanc viam viri in adolescentia: *Vir iste Christus Dominus noster est, hic est vir cuius viæ non possunt cognosci in iuventute. Quis enim æstimare animo possit, quanta ille opera exercuerit, cum secundum hominem moraretur in terris, quæ itinera virtutum duxerit, quas*

vias beneficiorum circa humanum genus fuerit ingressus? Potuit ne in fœliciorem partem ænigma dissolvi? Potuit ne accommodatior via nobis patefieri ad hoc vltimum certamen de 3.p. Angelici nostri Magistri, quam hæc gloriosissima Incarnationis Verbi Divini via? Perpendite illam, altamente perpendere quæso, & videbitis aliud pulcherrimum, per iucundumque ænigma *Quatuor in vno*, quadrivium, scilicet, nostrum mirè depictum, & recopilatum in hac vltima via, quæ cum sit vna, scilicet, Christus: *Ego sum via, veritas, & vita*, quadripartitur in iam appositas: nam omnes cucurrit, per volutavit omnes, *Viam viri in adolescentia*, in sua Incarnatione, vnde lectio Chald. *Viam viri in Virgine*. *Viam Navis in medio mari* in sua Passione, *Viam colubri super terram*. Hebr. *super petram*. in sua Resurrectione. *Viam Aquilæ in Cœlo*, in sua Ascensione: ideoque S. Ambros. totum hoc quadrivij ænigma elegantissime de Christo explicavit, vt videre est, vel in ipso tract. in hoc cap. 30. Proverb. vel apud Cornel. hic, licet diversi mode distribuat Symbola. Ergo altissimum Incarnationis ænigma ænigma quadrivij explicat, & Quadrivium mistagogicum hoc includebat arcanum, vnum & aliud se mutuo respondent, & reciproco ænigmate disolvuntur. Nostram ergo hanc vltimam fortunatam viam iam iam adeamus; quid tamen de illa dicemus, si quamquam cuncta corporis nostri membra verterentur in linguas, quamquam loqueremur linguis hominum, & Angelorum, nec limen tot mirabilium capere possemus; quia tamen disputatio nos cogit, ideò pro aliquibus difficultatibus enucleandis, dicemus quod hæc via fuit sancta, fuit scientifica, & fuit impeccabilis. Qua propter sit.

PRI-

PRIMA THESIS.

De via viri in adolescentia.

Ex Chald. in Virgine.

DIfficilima captu est altissima, stupenda, ineffabilisque Incarnationis Dñcæ via, in qua altitudo, & profunditas, vilitas, & maiestas, homo & Deus, Deus, & limus fœdere mirabili coniunguntur, vnde Bernardus serm. 2. de annunciatione dominica sit loquitur: *Abyssus planè imperscrutabilis, incarnationis Dominicæ Sacramentum, abyssus impenetrabilis, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, & in quo hauriam non est mihi.* Mira quidem verba pro elucidatione illorum, *& quartum penitus ignoro*: itaque dicimus, quod hoc Mysterium ita creatum superat captum, vt nec fide, & revelatione supposita possit naturali ratione demonstrari, sed solummodo ratione probabili suaderi; & taliter manifestavit Omnipotentiam, sapientiam, cæteraque attributa, vt reliqua Dei opera prætervolans opus suum antonomastice vocitetur, qua propter fuit Deo, hominibus, & toti vniverso conveniens; toti ergo ex hoc mysterio quædam peculiaris dignitas redundavit.

****
***

SECVNDA THESIS.

De sanctitate viæ.

HÆc via, in qua misericordia, & veritas obviaverunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt, in qua montes disstillaverunt dulcedinem, & Cœli fuerunt facti melliflui, in qua Spiritu Sancto obumbrante, plenitudo gratiæ fluebat, vt diademate ex floribus gratiæ contexto Rex Salomō coronatus hominibus appareret in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius, iuxta illud Pathmæi Vatis, cap. 1. *Et vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Hæc ergo via invia serpenti, eius veneni antidotum, nostræque salutis remedium, fuit via, in qua humanitas assumpta ad vnionem personalem cum Verbo fuit substantialiter sanctificata à Divinitate, vt à personalite Verbi virtualiter distincta; accidentaliter vero fuit sanctificata à gratia habituali quam propugnamus fuisse in anima Christi Domini, & oppositum asserere non solum est temerarium, sed etiam errori proximum; fuit ergo necessaria in anima Christi Domini, vt connaturaliter elliceret operationes ordinis supernaturalis, vnde illi erat opus tanquam principium connaturale effectivum, & formale meriti; de potentia tamen absoluta potuit sine gratia habituali mereri.

TER-

TERTIA THESIS.

De Scientia.

VT agnosceremus, hanc viam micantissimis scientiæ fulgoribus fuisse circumfusam, sat erat dicere, illam cucurrisse Divinam, & increatam Sapientiam iuxta illud Sap. cap. 18. *Cum qui tum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus sedibus in terram prosilivit.* Sed præter hoc, & quam plurima alia testimonia, placet illud adducere Pauli ad Colossens. 1. cap. 2. vbi loquens de Christo Iesu, sic ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Vnde dicimus, quod in anima Christi Domini fuit scientia beata à primo conceptionis Christi instanti, similiterque scientia per se infusa supernaturalis, per quam res in proprio genere, & extra Verbum cognovit, scientiaque naturalis per se infusa quoad species, non vero per se infusa quoad habitum; scientia vero per se acquisibilis fuit in anima Christi proprijs tamen actibus, & successu temporis acquisita. Animam Christi Domini non cognovisse in divina essentia cognita omnes creaturas possibiles ex vi visionis beatificæ, è contra vero omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua differentia temporis, propugnamus.

****

QVAR-

QVARTA THESIS.

De impeccabilitate.

Huius viæ decor, & puritas à primo vsque ad vltimum instans constat ex illis verbis Lucæ cap. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Et ex Paulo ad Hebræos cap. 7. *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Vnde dicimus, Christum non solum numquam peccasse, verum etiam nec de potentia Dei absoluta potuisse esse in peccato habituali, aut actuale committere, nedum in sensu composito, nimirum, vnione cum peccato retenta, sed nec in sensu diviso vnione per peccatum destructa; vnde summe arduum, ingeniosissimum, & ingenia torquens exoritur dubium, quomodo, scilicet, componatur hæc Christi impeccabilitas cum eius libertate ad moriendum ex præcepto? Circa cuius resolutionem dicimus, optimè componi Christi impeccabilitatem cum eius libertate ad moriendum ex præcepto ratione potentiæ antecedentis terminatæ ad omissionem mortis secundum se, & secundum sua prædicata essentialia, ratione cuius ita mortem posuit, quod potuit non ponere, quin hæc potentia fuerit potentia ad peccandum.

****

***

HISPALI:

Ex Typograph. IOANNIS DE LA PVERTA, in Vico de las *Siete Rebueltas*.

Anno à Virgineo Partu 1702.